



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

29 Junii. 3 Kal. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

video, elevare ad Deum amandum,
atque laudandum.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, qua S. Bertholdo,
unà cum Christo, & S. Petro, appa-
ruisti, & ut Antiochia ab obsidione in-
fidelium liberaretur, hodie impetrâsti.
Libera, Domina, ab omni periculosâ
obsidione, seu tentatione, animam
meam; ne peream!

S. MARIA, cujus Patrocinii fe-
stum, hoc die, anno 1656, ad agen-
das tibi pro beneficiis gratias, in Hispa-
niâ est institutum, Pontifice illud et-
iam Indulgentiis nobilitante, fac ut ita
te colam, ut tota vita mea, sed potissi-
mum extremus vita mea dies, sit fe-
stus patrocinii tui dies.

29 Junii. 3 Kal. Julii.

SANCTI Petre, & Paule, Apostoli
gloriosi, Ecclesiæ beati Princi-
pes, nec in morte separati, con-
juncti in æternitate. S. Petre, per-
petuarum, pro peccato, etsi pro-
pitiato, lacrymarum senex, Cruci-
fixum JESUM secute, usque ad mor-
tem Crucis! qui nocte, hoc tuum
festum præcedente, S. Ignatium
Loyolam, tunc jam Sacramentis
ad mortem munitum, invisisti, &
persanâsti. S. Paule, vas electio-

nis gloriæ Dei, totâ vitâ pro Evangelio Martyr! qui, capite abscisso, lac è collo fudisti; cujus relectum caput, JESUM ter inclamans, tergemino saltu tres fontes divinitus fecit erumpere. Orate, ut, in ultimo vitæ periculo, ne me de æternitate periclitari permittat Deus. Uterque à Deo in aquis servati estis. Uterque morientibus pluribus propitiî adfuiſtis. Adeste mihi in tempestuoso illo portu; ne naufragium faciam, patiarque. Sim æternum sanctus! sim in triumphante æternitatis Ecclesiâ æternum Dei! S. Petre Apostole, cujus epistolas *auro* sibi describi voluit S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, S. Ealburgæ ita scribens: *Auro mihi conscribas epistolas Domini mei; S. Petri Apostoli, ad honorem & reverentiam sanctarum Scripturarum: ut èt hîc opera tua, ad gloriam celestis Patris, aureis literis fulgeant.* Inſcribat, imprimat cordi meo amor Dei typographus, aureo caractere, cum omnia quæ scripsisti, tum extremum illud, *ut crescam in gratiâ, & cognitione Domini nostri, & Salvatoris JESU Christi: ut in me quoque sit ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis.* Amen.

Sancti

Sancti Marcelle, & Anastasi,
Martyres, capite plexi.

S. Syre Episc.

S. Cassi Episc. sanctarum, in quo-
tidiano sacrificio, lacrymarum vir-
gini cui cælitus nuntiatum est: *Age*
quod agis, operare quod operaris; non
cesset pes tuus, non cesset manus tua:
Natali Apostolorum venies ad me, &
retribuam tibi mercedem tuam. Ita
hodie à sacrificio Missæ sanctè per-
fecto, & Corpore Domini distribu-
to, sanctè migrasti.

S. Maria, Sancti Joannis, Marci
dicti, mater.

S. Benedicta Virgo.

Domine Jesu Christe, Magister
cordium, qui hoc, amantium
te, Apostolorum tuorum, die,
S. Gertrudi perenti, quomodo *sum-*
nam dilectionem in opere monstrare
deberet? respondisti: *Pasce cor*
tuum, divinis meditationibus; os
tuum, salutaribus locutionibus;
oculos tuos, sacris lectionibus; au-
res tuas, utilibus admonitionibus;
manus tuas, continuis exercitatio-
nibus. Nam quoties horum uni-
cuique studueris, hoc semper
suscipiam *pro summâ exhibitione di-*
lectionis. Erudiat me ignitum elo-
quium tuum vehementer; ut ve-

hementer amem, & corde, ore,
manu, oculis, toto corpore & a-
nimo, summæ dilectionis operibus
me impendam, & superimpendam.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA, *cujus Quadragesimam
Marianam S. Franciscus hodie in-
choabat, usque ad festum Assumptio-
nis tua perducendam. Vince, Domina,
gulam meam. Doce me carnem hanc
ad obsequia tua domare, subigere!*

S. MARIA novæ lucis, hoc die,
*Drepani, solenni supplicatione, ubique
per iter in supplices tuos benefica, &
in templo S. Juliani collocata; postea,
caco illuminato, aliisque admirandis,
gloriosa. cuius in sinu sedens latus Par-
vulus, alterâ manu facem accensam
tenet, cordibus accendendis; & in
diademate scriptum gerit: S. MARIA
novæ lucis. Accendat cor meum face
sui amoris Parvulus tuus JESUS, te id
mibi obtinente, ô Virgo potens, apud
Filium omnipotentem: ita eris mihi
Mater novi ignis, novi amoris, novæ
lucis; igne veteri amoris proprii extin-
cto, & novo igne accenso!*

30 Junii. Prid. Kal. Julii.

S. Anctæ Erendrudis V. Abbatissæ,
magistra virtutis, mater pau-
perum, pedum, ac ulcerum lotrix;

ad